

Kem
1258.



Kenn 1258

AN
FACILE CARERE POSSIT MEDICINA
DIVERSIS
ACRIMONIARVM
VOCABVLIS?

DISQVISITIO INAVGVRALIS MEDICA
Q V A M
PRO GRADV DOCTORIS MEDICINAE
RITE OBTINENDO

PRAESIDE
D. IO. FR. GOTTL. GOLDHAGEN,
MEDIGINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE NATVRALIS
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, CIRCVLI SALICI,
COMITATVS MANSFELDENSIS ET CIVITATIS
HALLENSIS PHYSICO

AD DIEM XXIV. NOVEMBERIS, MDCCCLXXXIV.

H. L. Q. S.
PVBLICE VENTILABIT
AVCTOR
IOANNES GEORGIVS FRIDERICVS
HAVSLEVTNER,
SILESIVS.




HALLAE
TYPIS FRIDERICI DANIELIS FRANCKE.

ACADEMIA

§ 1. Invenitur in his per plurimas
etiam Galen auctoritas, quam tubercula
sit in mente seculo decimo sexto
et deinde in hunc usque aequum. Quod
quidem in quatuordecim non in omnino, ut
sunt quorundam opinio, respiciendi, cum
et novam statuerent, et toto animo de
se melius cogitarent, nec parva relinque-
rent observata, quibus vix quiddam por-
tante esse putarent, in eo tamon inchoant
generale theoreticis, quod chomatia, ut dicitur
in hunc usque aequum, tametsi adhiberent
sed inchoant, et capite hinc amplexu
sunt, quibus auctoritate debeant, cum
maxime, inchoant, et hinc et hinc
tota hinc universa sedentur medicina
respublica, nec minus, quod cum vulgus
non error, quod cum viderent, dum
quod hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc
dant





§. I. **I**nvaluerat iam per plurima se-
cula *Galen*i auctoritas, quam subruere cœ-
pit ineunte seculo decimo sexto *Paracelsi*
et *Helmontii* mirum utrumque caput. Qui
quidem viri quamvis non sint omnino, vt
fert quorundam opinio, despiciendi, cum
et novam viam facerent, et toto animo de
re medica cogitarent, nec pauca relinque-
rent observata, quibus vix quidquam pot-
est esse præstantius; in eo tamen multum
peccasse videntur, quod chemiam, utilissi-
mam alioquin scientiam, temere adhiberent
ad medicinam, et capitis instar amplecte-
rentur, quam adnectere debebant, tamquam
auxilium, medicinae. *Paracelsum* et *Helmon-*
tium ducem universa sequitur medicorum
respublica; nec mirum, quid enim vulgus
non arripit, quantumvis absõnum, dum-
modo inflatum sibi persuadeat divino quo-
dam

dam numine? Ab eo inde tempore peculiaris inclaruit secta, at *fatalis* medicinæ; nam mea quidem sententia haud scio, an ulla deteriore attulerit sanitati hominum perniciem, quam illa chemicorum, quæ motum corporis atque actiones ex fermentatione acidi cum alcalino deducebat? Omni enim ævo theoriam cum praxi ita coniungere studuerunt, vt hanc illa duceret, illam hæc explicaret ac confirmaret; nec theoria, vt vulgus forte opinatur, esset alia, alia praxis. Evolve medicinæ historiam; ad hypothesin suam quisque chemicorum detorquet naturam, construit indicationes, exhibet indicata. Alterantium virtutes non nisi corrigendis fluidorum acidis, alcalinis, inserviunt; evacuantiâ unam eliminant humorum saburram; cuiuscumque speciei nascatur morbus, dyscrasiam humorum accusant, seu eorum primis in viis colluviem, purgantibus exhaustam; quodsi vim auxiliorum expectatam morbus eludit, in humorem tenacior

ciorem, viscosum, tartareum, partium rugis implicatum, causam transferunt, ac fati sibi fecisse videntur. Lugentem te video hunc tristem medicinae statum, qui usque eo pertingebat, dum magnus intercederet BAGLIVUS, *qui cum omnes longo intervallo* decus et ornamentum ingruentis seculi; post se reliquit mechanicos, tum principii vitalis irregulares effectus in diiudicandis ac curandis ægritudinibus rite æstimavit. Cuius post fata an pari ratione temporum nostrorum celebrata claritas rerum medicarum theoriam ac praxin correxerit, paucis nunc disquiramus acrimoniarum exemplo; nec fluidis vim suam abnuendo, sed alteram, quæ solidorum est, restituendo.

§. II. Constat ex theoria hominis fani, humores, paucissimis quidem exceptis, blanditiæ quadam gaudere, vt muniis suis rite defungantur. Cum status præternaturalis naturali oppositus sit; dubitari non

A 3

potest,



potest, quin incidere possit humorum conditio, blanditiei opposita, ubi liquida vim nanciscuntur, solida erodendi ac constringendi *). Conditionem hanc *acrimoniam* dicunt, et tamquam mixtionis vitiatae sequelam semper chemicam esse statuunt, ex quo intelligitur, nullam hic haberi rationem acris mechanici, nec physici. Quamvis enim propter effectus similitudinem rigiditatis, acuminis motusque ideae in acrimoniae chemicae notione concurrant, sunt tamen sano sensu, nec subtilius, quam verius accipiendae. Quodvis sensibile liquidum acrimoniae patet; sensibile, inquam, nam valeant temporibus nostris, qui fluidi

*) *Acre in genere ratione c. b. dicitur, quidquid pungendo, secando, rodendo, solidorum cohaesionem solvere, partibus vi sentiendi praeditis dolorem inferre, et vi vitali animatas ad contractionem stimulare valet.* Gaub. Instit. Pathol. p. 137. 138. Sed definitio haec latior videtur esse definito. Primum enim acria dantur, quae sitim, prurium aliudve immodicum tactus exercitium, dolorem nullum excitant; tum plura dolorem inferunt, quae acria non sunt; ex ipsa denique solutione continui intelligitur, acria cedere quidem posse dolorem.

di nervorum hypothetici per somnium olim viderunt rancorem, acorem, aliamve nescio quam acritatis speciem. Dividunt acrimoniam in salinam, oleosam, ex utraque mixtam; et salina quidem enascitur, dum sal vel peregrinus mixtionem fluidorum ingreditur, vel nativus abundat, ac vinculis suis liberatus, fortius liberiusque agit; oleosa vero, quando oleum aut acre peregrinum largius infertur humoribus, aut nativum acedinis labem contrahit; cui denique si manifestius adiungitur salina, inde redundat acrimonia mixta. Si quaeris de fontibus acris morbofi, sunt quidem plures, qui indagaturis se offerunt: 1) multiplex hominis vivi cum rebus externis commercium: aere, cibo, potu, medicamentis, venenis, miasmatis, contagiis 2) pabuli demulcentis defectus 3) humorum circuitus, naturæ modum excedens, cui immoderatus calor comitem se iungit 4) stagnatio et denique 5) anomalia illorum motuum, quibus ne-



gotium coctionis, secretionis, excretionis perficitur. Qua ratione singula agant, ut humorum blanditiem et mixtionem aequabilem tollant, ex Physiologiae principiis non difficile intelligitur.

§. III. Acritatibus § pho. antec. enumeratis quaedam subiectae sunt species, quas nominasse sufficiat: acrimonia muriatica, ammoniacalis, acida, austera, alcalina volatilis, (an fixa? dubitatur hactenus) putrida, aromatica. Nec deficient nobis obseruata, ex quibus coniectura, non omnino improbabili deducitur, acritates has nequaquam repugnare naturae humanae. Sed praeter has, quae manifestiores sunt ac frequentiores, plures alias acritates liquida humana contrahere, recepta fere est ab omnibus medicorum scholis sententia. Primum enim non alienum esse videtur ab indole corporis, vt acrimoniae plures diuerso modo inter se coniungantur, v. c. acrimonia muriatica cum
pu-

putrida, alcalina cum acida*), vt ex hoc
connubio nova enascatur ac sui generis
acrimonia. Tum plures dantur morbi,
quorum originem ab acritudine repetunt;
sed acritudinis natura tam parum cognita
est, vt speciem novam efficiat, cum an-
numerari non possit speciebus hactenus
cognitis. Scorbutus, febris putrida, car-
cinoma, ne alias corporis affectiones enar-
rem, veritatis huius exempla offerunt.
Scorbutus sibi putredinem vindicat, sed
ab ea longe diuersam, quae synochum pu-
tridam adfert, quod ex diuerso morbo-
rum decursu ac diuersa medendi ratione
patet; neque aliter sentiendum de materia
cancrofa. Venena denique animalium,
cum corpore communicata, acrium instar
in fluida c. h. agere perhibentur; cum ve-

A 5

10

*) Vidimus nuper in Gallia ludentem ingenio cl. CHAM-
BON DE MONTAUX, [*des maladies des femmes. Par. 1782.*] qui hanc posuit inter febrem miliarem ac purpuream
differentiam, vt illa ab acrimonia acida, haec ab alca-
lina originem duceret, vtraque tamen coexistere pos-
set in corpore.

ro animalis rabidi, serpentis crotalophori, viperarum acre specificum fit, multum inde augentur acrimoniarum genera. xiv in

§. IV. Mixtionem humorum vitiatam ac corpori nocivem causam morborum primariam sistere, pro hypothese a plurimis accipitur, qui artem medicam faciunt. Cui si comparaveris alteram, quae primam morborum causam sedemque in solidorum alterationem collocat; ea potius seligenda erit, quae aegritudinum phaenomenis optime consentit, et, quod gravissimum in hac re est, viam, qua aegritudinibus occurrendum sit, tutiorem monstrat facilioremque. At morbi, qui fluidorum mutationibus praeternaturalibus tribui solent, sine notabili humorum alteratione aliquando oriuntur, quamvis lubenter fatear, a vitii humorum diurnitate eos contrahere; progrediuntur etiam ac finiuntur sine notabili humoris corrupti excretionem, qui potuerit mor-

bi

bi causam continere; remedia adhibita effectus producant tales, quales expectari vix queunt ab alteratione fluidorum; solida demum mutationes inducunt humoribus, quae olim putabantur in his ipsis generari. Morbi, qui toto coelo differre videntur, mutantur, succedunt sibi, transformantur, in se invicem abeunt; idque nullam aliam ob causam, quam quod virium impetus facile mutabilis sit. Quo enim mechanismo, qui hanc modo partem obsidebat, qualitatis determinatae humor ad aliam partem migrabit ac nativam mutabit indolem? si forte humoristarum, venia sit verbo! partes arripere, magis placuerit.

§. V. Quo clarius elucescant, commemorata haecenus, morbos respiciamus cutaneos. Ad morbosam quidem omnium humorum conditionem plurimi inveniuntur, qui referant omnia morborum cutaneorum genera; hinc nec absimilem instituunt huic opinioni medelam. Fuerunt etiam

etiam, qui cutis pathemata quam accuratissime describerent; nec tamen adeo distincta sunt genera, vt semper facile sit cognitu, ad quamnam speciem particularis quidam casus pertineat, nec adeo constantes sunt medicamentorum, quae sanguinem mundificare perhibentur, celebratae virtutes, vt ne quotidie videas, quae diutissime protrahuntur ac vim sanationis omnem eludunt, affectiones cutaneas. Quamuis huius generis morborum pertinacia non semper transferenda sit in culpam medicorum, erit tamen aliquando, siquidem male negligitur a medico status vasorum cutaneorum morbosus, depravata secretio per glandulas sebaceas cutis, et bulbi pilorum contra naturam affectio. Sis igitur unice securus de nosologica affectus determinatione, modo congrua attendas indicia, quibus hi morbi a se inuicem distinguuntur; quorum si latent indicia, coniecturam sequaris ex habitu externo et rebus, quae circumstant, sapienter instituendam.

§. VI.

§. VI. Ex corruptione humorum specifica, vt antiquitas voluit, ac recentiores retexuere plures, morbos cutaneos neutiquam esse derivandos, sed natales potius debere tono integumentorum, secundum variam irritabilitatis gastricae conditionem alienato, plura suadent de sympathia partium phaenomena; ventriculi enim tunica interna telam cuti externae continuatam constituere videtur, cum non appareat, vbi in labiis, ad quae non minus tunica interna stomachi quam cutis perrepat, sit obseruabilis earum separatio. Haec ventriculi cum cute consensio praecipuis phymata illa exigua et maculas generat, quae integumenta corporis occupant, ad phlegmones naturam accedunt, et nomine *exanthematum* veniunt. Aliena, praecipuis viis ingesta, piscium vsus diu continuatus, vbi praecipuam esculentorum partem constituunt, cancri, lapides cancrorum, oryza, aqua calcis, efflorescentias pro-gignunt cutaneas. Labiorum exanthema
ta





ta in febre tertiana frequenter admodum
 conspiciuntur, quam primis viis merito
 tribuunt. Symptomata, quae exan-
 thematum eruptionem praecedunt, et
 omnibus fere communia sunt, ventriculi
 labem indicant: aepsia, anxietas prae-
 cordiorum, nausea, vomitus, partium
 internarum dolores ac spasmi. Erysipelas,
 quod ob communem cum reliquis exan-
 thematibus characterem tamquam genus,
 quod diuersas sibi species subiectas habet,
 iure consideratur, saburrae biliosae potif-
 sinum tribuitur, vt haec igitur commu-
 nis sit pathematum affinium mater. Va-
 riolarum eruptio diarrhoea cauetur, et
 mitigantur variolae diarrhoea, a die I-XI.
 ingruente. Intelligitur etiam, quanta sit
 vis primarum viarum, ex febris amphime-
 rinae primae in alteram, intermittentem
 feu hemitritaeam transformatione, cuius
 in ventriculo fomes latet ut plurimum.
 Cibus impurus ac cruditates primarum via-
 rum aphthas producunt; rubeola benefert
 diar-

diarrhoeam, emetica, purgantia. Saburrae, imprimis verminosae, miliaria debentur, quae datis emeticis aut purgantibus, quamvis non semper, praecaventur tamen. Morbus denique petechialis in his maxime subiectis frequens obseruatur, quorum praecordia putridis impuritatibus scatent; nam plebei praecipue ac pauperes, milites gregarii, verminosi, quique impuro victu utuntur, ei succumbere deprehenduntur. Accidit inde, vt inter belli turbas toties occurrat, vtque saepe diarrhoea aut dysenteria praegressa hominem illo immunem praestet. Dato etiam purgante quam plurimos aegros sanavit *Clark*, vt adstrueret, petechias in eo morbo absque ulla labe sanguinis prodire, in quo nimius. Mytuli et pisces venenosissimi purpuram excitarunt urticatam.

§. VII. Cum igitur, qui febres exanthematicas in gastricas ac sanguineas diuidunt, materialem earum causam ad acrem
quidem

quidem remittant, sed indolem huius specificam non definiendam esse largiantur; differentias exanthematum essentialia a cruditatibus primarum viarum, inde pendente circulationis humorum abnormitate, ac tono vasorum cataneorum varie affecto rectius deriuabis, vt nec multum interfit, unam speciem cum altera commutasse, modo irritabilitatis gastricae febrisque conditiones animaduertas, vt exanthemata symptomatica, passiva, distinguas a criticis, activis.

§. VIII. Quae monuimus de passionibus cutaneis acutis, valent etiam de chronicis. *Gutta rosacea*, quae progenies esse dicitur acrimoniae oleosae ex abusu spirituosorum enatae, resolventibus, emeticis, refracta dosi adhibitis, acido vitrioli, laxantibus antiphlogisticis, inter quae praeter ceteris laudem meretur cremor tartari, non raro fugatur. *Herpes* ex saburra biliosa enascitur, nec dubitaueris de reliquis,

quin

quin similem agnoscant originem. Passio-
 num aliarum ea est ratio, vt citra dubium
 irritabilitatis gastricae conditio olim muta-
 verit illam vasorum cutaneorum, sed haec
 posterior permanens nunc sit atque habi-
 tualis, seu causa formalis subsistat, mate-
 riali, ut aiunt, remota. *Crusta lactea*, quae
 faciem lactantium annuorum vel bimulo-
 rum occupat, prae reliquis infestat al-
 umnos voraces, pingues, lacte illaudabili
 nutritos; curatur etiam interdum lacte mu-
 tato tenuiore. Aliquando tamen ad sex-
 tum septimumque annum pertingit; non
 adfunt evidentia acrimoniae internae signa;
 si a dolore prurituque discesseris, optime
 valent alumni; vitam alacrem degunt; ap-
 petitus ac vires vigent; naturalis est alvi
 ac vesicae excretio; remedia denique in-
 terna nihil efficiunt, ex quibus omnibus
 probabile sit, non esse causam internam,
 quae morbum foveat, sed habitum inte-
 gumentorum ita factum esse permanentem,
 ut crustis ablatis, novae semper succres-
 cant.

B

cant.

cant. Quibus si addas, non paucis alum-
nis, ut reliquis tussis ac diarrhoea ex den-
titione difficili enascitur, crustam lacteam
inde oriri subitanam, et cum dentis eru-
ptione, hinc cessante irritatione, ulcus-
cula pruriginosa, manantia iterum desic-
cari; facile te mecum consentientem ha-
bebo, si statuam, irritationem vasorum
lympham corrumpere, nec lymphae cor-
ruptionem causam sistere mali primariam.

§. IX. Dantur denique affectus cuta-
nei, qui cum ali videntur a bulbis capil-
lorum male affectis, tum malignius cedunt
remediis internis. Pertinet huc *tinea capi-
tis*, quam constituunt ulcera cutanea, ca-
put capillatum obsidentia, sub crusta
crassa aridissima variique coloris latentia,
qua ablata cutis humida, rubra, corrosa
apparet. Hinc omnis curationis cardo
in eo vertitur, ut forcipis aut emplastri ad-
haesivi, sagaciter admouendi ministerio,
radices capillorum evellantur; quam-
vis

vis enim variis remediis externis, sicut decocto nicotiane, pice liquida, oleo empyreumatico aliisque, emollita et ablata in antecessum crusta, exsiccari quidem possint ulcera, redire tamen solent, permanente caussa sananda.

§. X. Sed eo nunc me delatum sentio, ut, quae ex praeconcepta acrimoniarum opinione apud plurimos hactenus invaluit, methodum medendi morbis cutaneis paucis perstringam. Decocta herbarum, lignorum, mundificantia, aut quo alio specioso titulo insignivit artificum vaniloquentia, quae massam humorum etiam si integram corrumpunt ac alterant, principem facile locum obtinere inter ea, quibus scabiem, crustam lacteam, tineam, herpetem, mala reliqua curare satagunt. Alexipharmaca ac purgantia repetitis vicibus exhibent, et hac perversa ratione debilitant primum ventriculum, omnium morborum sentinam, ac digestionem iner-



tem reddunt; tum relaxant omnia solida, ut pari ratione sanguinem attenuando acrimoniam demum evolvant, quae perpetuo inter cutem epidermidemque secedit. Sic aegri sudoribus fere diffluunt, per hebdomadem semel purgantur, diaeta vexantur acerbissima; medicus, mane accedens, de succrescentibus pustulis gaudet, et vitam diuturnam sanitatemque praedicat. Qua quidem ratione cum viderent alii, non sanari, sed etiam deteriores reddi huius generis morbos, vel naturæ reliquerunt sanationis negotium, vel opposita exhibere aegris remedia, ut acida, vitriolum, sulphur, corticem, vinum. Sed nec haec ubique sufficiunt; nosocomia praebent funesta de pertinacia scabiei exempla. Nova itaque via ineundum erit, ut experiamur, si forte therapia chirurgica plus valeat, quam interna.

§. XI. Remedia topica duplici respectu prae illis internis praeferenda videntur,
primum,

primum, quod non nisi localem effectum
 exferunt. Si particula corporis laesa est,
 partialem istam laesionem medicina inter-
 na hac tantum ratione corrigere potest,
 ut mutationes, quibus laesa tantummodo
 pars indigebat, toto producat in corpore.
 Quis vero non intelligit, mutationem,
 quae salutaris fit parti corporis laesae, oe-
 conomiae universae nocivam evadere pos-
 se; dum nullum remedium hoc pacto im-
 mitti potest corpori, ut particulam corpo-
 ris sanam intactam relinquat, agat tantum-
 modo in morbosam. Si topica obtinet
 vasorum uterinorum debilitas, fieri non
 potest; quin martialia et chinata, interne
 adhibita, in universam solidorum compa-
 gem agant; at sano robore gaudent reli-
 qua, hinc superpondium virium inducat,
 necesse est, roborantium effectus. Simili
 ratione si ad stasim sanguinis congesti parti-
 cularem remediis utimur internis, totam
 fluidorum texturam immutamus. Verum
 quidem est, medicamentorum actionem re-
 lative

tive talem esse ad irritabilitatem quorumdam vasorum; hac mente terebinthina, cantharides, diuretica audiunt; quamvis igitur actio medicamenti eam in partem, quacum affinitatem alit, *gradu* antecellat actionem in reliquas; impedire tamen non poteris, quo minus reliquum corpus experiatur alterationem, quae, quantumvis exigua sit, consistere tamen nequit cum perfectissima sanitate. A remediis topicis abest haec difficultas, cum eorum effectus se contineant intra particulam laesam; quodsi enim, ut fit aliquando, ultra definitos limites excedunt, non ipsis remediis, sed temerariae eorum applicationi tribuendum videtur. *Altera* remediorum topicorum prae internis praerogativa in eo consistit, quod alterationem nullam fubeant remediorum virtutes. Si medicinam internam adhibes, ea diversas sustinet mutationes; nam vasa se - et excretioni inservientia assimilare illam debent naturae corporeae, ut cum sanguine de-
veha-

vehatur ad partem, cuius est alteranda conditio. Fieri igitur potest, ut vitium seu causa vitii, quod corrigi debet, ipsis illis vasis inhaereat; tum aut nulla perficitur assimilatio, aut corruptionem induit medicina eandem. Haec videtur esse ratio, cur in morbis cachecticis remedia efficacissima interna frustra plerumque adhibeantur; vel enim non ita, ut debebant, praeparantur ad producendam in corpore mutationem, vel mixtionem ingrediuntur humoris depravati; in alterutro casu expectata virtute necesse est excidant. Sed in applicandis remediis topicis nulla opus est eorum alteratione propter mutuam medicamenti in corpus actionem et huius in illam reactionem. Nec quidquam aliud requiritur, quam receptivitas corporis, neque ulla conspirat ad eorum efficaciam virium corporis internarum actio, licet multum interfit, vires medicamentorum earumque ad gradum mali cutanei superandum

dum relationem perfectas habere cognitasque *).

§. XI. Quodsi haec omnia tecum consideraveris, mirum sane videtur, neglectum, immo reformidatum fuisse a plurimis in morbis cutaneis curandis remedium externorum usum, cum non obstante medicina interna, quae empirice magis quam dogmatice adhibebatur, cutis demum eroderetur ac tota eius destrueretur textura organica. At metuebant, ne retineretur in corpore, quae antea evacuari sole-

*) Conf. de his cl. HERZ Briefe an Aerzte. 1 Samml. Berl. 1784. p. 65. 66. 67. Hinc, ubi vita periclitatur, v. c. in synocho putri, quando ad eum ascendit vigorem, ut ex resolutione humorum putrida haemorrhagiae ac petechiae oriantur symptomatae, et vires cum pulsu mirifice decrescant, tentari forte poterit non sine spe fausti successus, quid valeat balneum corporis universale, ex aceto vini paratum, cortici, vino, antisepticis aliis nuptum. Sic particulae spirituosae, oleosae, peripheriam corporis ingrediuntur et sanguini admiscuntur; eum obiecta, quae huius generis particulas continent, si fuerint per primas vias intromissa, vel immutata maneat in systemate circulatorio, vel ipsa humorum labe inficiantur.

solebat, materia; funesta respiciebant inde natae caecitatis, surditatis, apoplexiae, hydropis vel aliorum periculosorum morborum exempla, et malebant intermere aegrum, quam anceps tentare remedium. Corpus enim per cutis efflorescentias excretioni humoris cuiusdam vel peculiari circulationis modo ita affuescere potest, ut eruptionum cutanearum repulsio alium eumque graviolem morbum facile inducat. In hoc ambiguo rerum statu non tantum ex theoria, sed etiam ex observatis medicorum colligi potest, ita tentandam esse curationem externam, ut, dum magna necessario in circulatione fieri debet mutatio, maior humorum copia per alia evacuetur emunctoria. Hac ratione cl. *Duncan* cutis morbum, quem ex herpetis genere esse putat, et pravo potius vasorum cutaneorum statui, quam ulli sanguinis causae adscribit, externo mercurii sublimati corro sivi usu feliciter sanavit, ita tamen, ut antimonium crudum interponeret, quod

B 5 *ad-*

adversus morbos cutaneos cum successu frequenter adhibetur, et cuius vis in augenda diaphoresi et hac sustinenda verosimiliter consistit. Praeterea ut alia etiam via quantitate humorum nimia corpus liberaret, repetitis vicibus cathartica refrigerantia dedit; nam his licet minus permanentem, certiores tamen ac promptiores evacuationem procuravit, et sic evitavit quamcumque periculosam sequelam, quae ex lotionis mercuriali redundare poterat *).

§. XII. Non ab simili ratione *favus*, cuius sedem praebent cryptae muciparæ cutis capillatae, quae humorem spissorem, mellis consistentia similem fundunt, qui condensatus densiores format crustas, mercurium praecipitatum album satis commode fert, imprimis cum vesicatorii applicatione irritatio excitatur diuturna, et species creatur ulceris artificialis; nam si a re-

pul-

*) cl. DUNCAN casus medicinales, ex versione latina cl. RYAN. L. B. 1783. Cas. III. p. 30. sq.

pulsione eruptionis cutaneae morbus exoritur, circulationis mutatae effectus est; hinc restituenda exacta circulationis aequalitas. Hunc igitur in finem experientum, quid possit fonticulus, utpote qui non solum derivationem ex partibus olim affectis producit, sed etiam determinationem circulationis versus capitis superficiem mutat. Quod si manifesta obstructionis viscerum ac glandularum signa adsunt; ipsique parentes suspicionem iniiciunt dispositionis hereditariae, venereae, scrophulosae infantum; per se omnino patet, non negligendam esse therapiam internam, morbo venereo, scrophuloso accommodatam; quot enim dantur passiones cutaneae, omnes quidem effectus esse posse morbi intus latitantis scrophulosi, veneri, cognitum est haecenus. Ut igitur breviter strictimque dicam, quae sentio, remedia externa, ea cum cautela exhibita, quam proposuimus §. antec. citra ullum periculum admovebis corpori: 1) si vim

reme-



remediorum internorum omnino eludit morbus 2) si nulla adfunt causae internae signa, vires, appetitus vigent, excretionum negotia ad sanitatis normam perficiuntur, pulsus et calor limites naturales non excedunt et bono corporis habitu aegri gaudent, nec praeter loci affecti molestiam ullum percipiunt incommodum. Cave tamen, ne morbi cutanei symptomata, quae forte ex conditione excretionis per corporis superficiem proveniunt, morbum distinctum constituere, vel hunc complicatum reddere, putes. Sic cl. *Duncan* casum enarrat de obstinata affectione cutanea, ad genus leprae pertinente, ubi indicia quidem manifesta apparere labefactatae totius machinae: capitis dolor et vertigo, at parum tantum mutata fuit sanitas, tametsi morbus late pateret *). Cf. cum his cl. *Murfin* observationes, qui recte monuit, scabiosis, remediis internis et acerba diaeta per longum tempus cru-

cia-

¶ Cas XXII. p. 213. seq.

ciatis, succrescere aliquando pustulas novas, ardorem pruritusque excitantes, et pustulis his citra metum graviorum symptomatum illiniri unguentum ex sulphure, vitriolo albo et axungia porcina. Idem ille vir experientissimus crustam lacteam, quae per sex annos puellam detinuerat, linimento ex camphora, essentia myrrhae, extracto saturni et melle rosato feliciter sanavit; quamvis ulcusculis iam deperdita esset cutis substantia *),

§. XIII. Ex dictis satis constare nunc arbitror, cutis ipsum depravatum statum medentis attentionem mereri, dum solis internis remediis, therapia externa neglecta, difficilior omnino redditur, immo fieri omnino non potest affectus cutanei sanatio. Nec te rogaturum nunc puto, quid in tanta systematum copia praerogativae teneat illud, quod ex tono integu-

men-

*) Medicinisch-chirurgische Beobachtungen, II. Saml.,
p. 107. sq.



mentorū alienato innuitur? Mitte diversa acrimoniarum genera; nihil detrimenti ex eorum oblivione percipiet ars medica. Differere quotidie audis medicos de acrimonia serophulosa, carcinomatosa, arthritica; nec quisquam eorum intelligit, quae sit acrimoniae natura specifica? quae remedia naturae opposita? Parum refert, utrum ad acidum vergat, alcalina an ammoniacalis sit sanies, quam fundunt ulcera carcinomatosa; medela enim aequè diversa est, ac diversi sunt morbi, qui teterrimum hunc affectum progignunt.

§. XIV. Scrophulae et cancer naturam eandem servare videntur; loca enim non nisi glandulosa occupant, sed differunt in eo, quod scrophularum durities non tanta sit, quae in cancro deprehenditur. Huius phaenomeni ratio in solidorum reactione collocanda videtur; nam haec in morbo serophuloso non tanta est, quam in illo cancroso. Explicari hinc poterit, cur

cur infirmiores ac praecipue infantes scrophulis, adulti vero, et qui stricta temperie gaudent, carcinomati sint obnoxii. Morbus uterque ab obstructione glandularum oriri videtur, sed causa proxima aequae incerta est, ac methodus medendi; quamvis non desint, quae commendata fuere, specifica. Ob quam igitur causam ad acre specificum confuginus? Nonne fatis est intellexisse, causas easdem morbum utrumque procreare, v. c. glandularum compressionem, cum observatio docent, evanuisse scrophulas, mutatis, quae glandulas conprimebant, vestimentis? Si pergit ad loca vicina cancer, id quidem argumento est, actionem validiorem esse reactione. Sed raro admodum plures partes infestat, vel longe a se invicem distitas, vel nullo inter se nexu iunctas; ad propinqua tantum loca proserpit. Cum vero omnibus corporis partibus intima quaedam intercedat conspiratio, omnium denique excitari reactionem, facile concipitur, ut haemorrhagia,



rhagia, convulsio, febris lenta, consumptio, lipothymia et mors ipsa superveniant. Perspicitur etiam, cur in casibus desperatis opiata, vtpote quae erethismum fibrarum infringunt, dolorem sopiant ipsumque morbi progressum cohibeant. A morbo scrophuloso omnia haec absunt; glandulas plures ac remotiores corripiunt scrophulae, lente incedunt, haud impune ferunt opiata, idque ob nullam aliam causam, quam propter reactionem minorem. Quodsi partium integrarum reactio partium laesarum nisum exsuperat, fit aliquando, ut natura resolutione benigna aut supuratione medelam scrophularum instituat.

§. XV. Causam morbi arthritici, podagrici, quam ignorari, certo scimus, fucoco peculiari, ad articulationes delato, sunt qui adscribant plurimi; nec defuerunt ingeniosi satis scrutatores naturae, qui analysin chemicam meditarentur acris specifici, ut acido tribuerent morbum *vel* propter

fer sudorem, acidum olentem, vel propter vomitum acidum, qui levat aliquando impetum aegritudinis ad artus omnino criticum. Parum tamen frugi ex simili naturae aegritudinum definitione redundaturum puto; omnia enim liquida acrimoniam acidam contrahere posse, haud difficile largior, cum in quovis fere liquore sal acidus reconditus lateat, isque et copia augeri et a compedibus suis liberari possit. Materia concrofa ferramenta interdum rubigine inficit, et cum materia calcarea, cancro adpersa, effervescit; quin immo foetor, quem exhalat, manifestum saepe acorem aemulatur, ita, ut carnem in muria salina aut in aceto computrescentem referat, idque maxime in mammis. Nec tamen absolvitur aegritudinis idea depravatione ista humorum, quae, cum alienatae solidorum constitutionis sequela, tum diversa est admodum. Pariter de arthritide sentio, cuius ut eruatur natura, toni vasorum, quae secretioni articulari inserviunt, praeternaturalis respicienda est affectio, ventriculi

C

lan-

languori respondens, propter eximium huius visceris cum partibus externis consensum, qua propter specialem sui considerationem merentur praecordia. Primum vinum meratius liberaliusque bibitum, tametsi ventriculo haud dum excidit, arthritidis dolorem exasperat; tum sub podagrae accessionem aliquando percipitur dolor, aestus, inflatio regionis stomachi, quo tempore alvum evacuantia ferociam dolorum, in pedibus subortam, statim mitigare solent; ut *Martiano* auctore, emeticum, per mensem exhibitum, a dolore arthritico tutos listat aegrotos; dolor denique arthriticus in colicum transit, et colica aut diarrhoea superveniente, contingit aliquando arthritidis solutio.

XVI. Desudarunt in eo ac perdiderunt operam medici, ut reperirent antidota, quae extinguerent virus *hydrophobiae* specificum. Cum enim medicina eorum esset scientia, quae nesciuntur, si a paucis quibusdam discesseris, ignorantiam vero, quod ita fert hominum in-

ge-

genium, celare mallent, quam profiteri medici, eo se facile deferri sinebant, ut, vbi-
 que aegritudinis natura latebat, qualitatem
 accusarent occultam, specificam. Qua vero
 ratione, ni forte casus obtulerit remedia,
 eorum ad aegritudinis naturam relatio, dum
 incognita erat natura, detegi potuerit, id
 quidem non capit meum ingenium. Mitte
 igitur subtiliorem miasmatis essentiam, et in-
 quire in aegritudinis illam. Cum enim obser-
 vationes docuerunt, inflammationibus, febri-
 bus nervosis, abusui spirituosorum et narcoti-
 corum inter reliqua nervorum symptomata
 aliquando se comitem iungere aquae pavorem;
 de vi specifica morsus canini et halitus anima-
 lis rabidi irati multum equidem dubito. Me-
 mini me audire a perrillustri *Goldbagenio*
 cuius numquam mihi excidet memoria, se
 quidem in praxi luculentissima constitutum hy-
 drophobiam spontaneam pluries observasse,
 quam illam a morsu canis rabidi. Quin im-
 mo morsus animalis et hominis sani hy-



drophobiam induxisse feruntur, ubi cogitare vix possis de vi venenata salivae. Indicatio igitur curatoria non tam depravationem humorum, quam irritationem localem respicit; irritatio enim localis palpitationem cellulosaenimiam, ut toto in corpore, ita maxime ad oesophagum excitat, simili fere ratione, qua calculus felleus, vesicalis, vermes ossiumque tumores stimulum partialem cum remotioribus partibus communicant; nec mirum igitur, cadaverum extispicia oesophagi, ventriculi atque intestinorum inflammationem docuisse, cuius formalis causa ad auctam cellulosaepalpitationem redit. Est enim lex quaedam universalis, quae competit machinae, ut sensibilitate gastrica aucta, imminuatur ventriculi atque intestinorum irritabilitas, hac imminuta augeatur palpitatio, cuius ipsam cellulosam participem reddere, non admodum dubitamus. *) Sensibilitatem vero gastricam auctam esse in hydrophobia, et cutis sensibilitas suadet, et ex

*) Cl. DANIEL Syf. aegrit. T. I. p. 51.

ventriculi dolore ac vomitu arguitur. Hinc
 omnia remedia, haecenus cognita, meloe ma-
 ialis, cantharides, et quae sunt reliqua, spasmorum
 reactione, quos vel in ipsa parte affecta,
 ut *Nugentus* voluit, vel in remotiore loco ex-
 citamus, palpitationis excessum infringere
 videntur. Quodsi igitur, a principio saltim
 hydrophobia affectum magis topicum sistit,
 curationis cardo in eo potissimum vertitur,
 ut tota excindatur circumferentia; remediis
 enim internis, quae specificorum nomine cele-
 brantur, causa formalis ex parte tantum tolli-
 tur, ut de aptitudine ad aegrotantum mini-
 me possis securi esse animi. An imminuta
 palpitatione, virus citra fluidorum alteratio-
 rem, quae fuit *Nugenti* sententia, ipsis admisce-
 ri possit? an per poros cutaneos aliave com-
 moda emunctoria secedat? an sanguini com-
 mixtum involvatur, et potentiam suam in fi-
 brillarum systema amittat? certo defini hae-
 tenus nequit propter absconditum mechanis-
 mum corporis.

§. XVII. Sed hæc ad sententiam meam
 stabiliendam differuisse sufficiat, quam pluri-
 mis comprobare potuiffem exemplis, nisi tempo-
 ris ac dissertatiunculæ limites prohibuiffent. Pa-
 tet igitur, acrimoniaram doctrinam, ex assiduo
 Chemiæ studio Pathologiæ invec̄tam, inutilem
 esse ac nocivam; inutilem quidem: talia enim
 amabo quis unquam pervidit in corpore, quæ
 mera sunt opinionum figmenta? Loco dignitatis,
 affinitatis et characterum congruorum, vagam
 de caussis morborum acidis, alcalinis, fermocina-
 tionem instituunt, quarum characteres, varia-
 tes ac discrimina medentes adhuc fugiunt,
 nec postera ætas collustrabit. Sed etiam noci-
 vam esse ad medelam faciendam humorum
 acrium theoriam, facile intelligitur ex iis, quæ
 circa curationem pathematum cutis chronico-
 rum monuimus: quibus hoc unum addidisse
 sufficiat. Sordes, quas exhaurire student cru-
 ditatum patroni, sæpe aut nullae sunt, aut a
 strictura fibrarum et sanguinis circuitu impedi-
 to enascuntur. Purgationem instituunt ac

re-

repetunt drasticam; vellicantia exhibent alia, cum lenientia, sedativa adhibere deberent, saltem haec nubere purgantibus; sic tonum fibrarum non emolliunt, sed magis stringunt; decoctionum tarditate queruntur, immo coctionem succesuram desperant; quid enim? mendendi artem naturæ dissimilem faciunt, quæ spasmorum remissione ac solidorum flexibilitate coictonem accelerat.



PRO GRADU DOCTORIS MEDICINAE
RITZ ORTHOPEDUS

FRATRES
DIO FRATRI GIBBAGEN

FRATRES
FRATRES
FRATRES

FRATRES
FRATRES



1018
PICA





AN
FACILE CARERE POSSIT MEDICINA
DIVERSIS
ACRIMONIARVM
VOCABVLIS?

DISQVISITIO INAVGVRALIS MEDICA
QVAM
PRO GRADV DOCTORIS MEDICINAE
RITE OBTINENDO

PRAESIDE
D. IO. FR. GOTTL. GOLDHAGEN,
MEDICINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE NATVRALIS
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, CIRCVLI SALICI.

